DE UNIVERSI

VIS NERVOSAE

PRAEGNANTIUM

CORPORIS MUTATIONIBUS,

NEC NON DE ILLIS

D ANIMUM SPECTANTIBUS SEU PSYCHICIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHYSIOLOGICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

RATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA,

UT SUMMI

N MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE XII. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

NTONIUS JOSEPHUS RICHTER,

CONFLUENTINUS BORUSSO-RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

G. BENEDIX, MED. ET CHIR. DR.

L. KERSTEN, MED. ET CHIR. DR.

A. HÜLSMANN, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI,

LITERIS AUGUSTI PETSCHII.

Doceamus vera, ne dum falsa defendamus, vera simul amittamus.

ERASMUS.

VIRO

SUMME VENERANDO

J. MÜLLER,

MEDICINAE, CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE DOCTORI,
PROFESSORI IN ACADEMIA BORUSSICA RHENANA, SOCIETT.
CAESAR. NATUR. SCRUTATOR. SODALI

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE

VULT

AUCTOR.

LECTORIBUS S.

Cum, finito studiorum academicorum curriculo, de dissertatione inaugurali elaboranda mihi esset cogitandum, minime ex rebus medicis praxin spectantibus materiem exhibere in mentem habemus, cum veri medici experientia, artis medendi practicae dux unica atque sola magistra, juvenilem animum plerumque deficere et soleret et deberet. Physiologia me semper quam maxime attraxit, ita ut prae ceteris medicinae doctrinis, ubimet otium mihi fuerat, summa cupidine atque voluptate, omnes vires in hanc bonarum pulchrarumque naturae scientiarum partem intenderim. Hac ex cogitatione primum quidem monueramus commentationem nostram „*de Mutatione, universi praegnantium corporis, ab ipsa impraegnatione oriunda deque ejusdem, vi morborum in ipsa graviditate et profligandorum et provocandorum; nec non demum de eruenda inde*

illorum morborum aestimatione curaque," quae ab gratioso et perillustri Medicorum Ordine, in splendidissima Rhenana literarum Universitate florente, praeterito anno haud indigna habebatur praemio, apte posse evulgari; sed argumentum hocce tam grave, quam amplum, longioris disputationis, ut facile intelligitur, materiem exhibet, quam ut angusti limites, quibus nostrum nunc specimen inaugurale circumscriptum esse voluimus, illud accommodate complecti possent.

Quae cum ita essent, consideratius etiam mihi visum est, minime tantum epitomen harum disquisitionum — quae plurimis postero tempore quoque additis, aliis demtis aliisque haud paucis mutatis emendatisque justius divulgationi retrusae atque abditae jaceant — typis tradere, sed potius, cum aliud argumentum pro temporis spatiique ratione tractandum sumere haud aptius videretur, partem tantummodo earum eligere: e quibus nil adeo arrisit, quam ut indagationes „*de universi vis nervosae praegnantium corporis mutationibus, nec non de illis ad animum spectantibus psychicis*" exhiberem majorique comprehenderem studio et additamentis locupletarem. Jam vero, cum ad hanc materiem pro viribus expediendam vela colligere et quasi mediis in rebus orationem mittere cogeremur,

minime omnium gravidi corporis mutatationum singularum expositionem in concilio habemus, sed in universum mutationem vim nervosam spectantem ex diversis illis singularibus enucleatam perillustrare nitimur. Quo rectius autem et utilius huic consilio satisfaciam, nonnulla maximi, ut mihi videtur momenti ad meliorem ipsius rei exarationem quasi in frontem hujus commentaciunculae paucis commemorare liceat.

PROLEGOMENA.

Sola vis vitalis, qua corpora eorumque partes conformantur et continentur, una cum corporis interitu non perit, sed illo ipso momento, quo aliquid ad summam perfectionem provectum est, eodem semetipsum propagare valet idemque momentum novi organici corporis ejusdem generis vitae initium constituit. Huic quidem legi, ut quantum fieri potest, respondeat, majorem perfectionem assequi studet, attamen certa quaedam — quae κατ᾽ ἐξοχὴν evolutionis periodi nominantur — in perficiendo temporis momenta percurrit, in quibus vel maximam evolvendi vim exercet, ita ut ad memorabiles mutationes subeundas reddatur idoneum; id quod praesertim in corpore muliebri graviditatis tempore accidit. Vix enim ulla alia existit periodus in toto evolutionis et decrementi organismi muliebris, cyclo, quae tot tantasque mutationes omnium functionum afferat, quam conceptio et graviditas. Quemadmodum autem istas evolutionis periodos, ut dentitionis,

pubertatis, diversas esse concessum est; ita nemo infitias iverit, vim vitalem hoc tempore mutationi obnoxium esse. Verum vis vitalis animalis et productiva et nervosa, tam natura, quam gradu, vel, ut ita dicam, secundum qualitatem et quantitatem, cum ea vis partim auctior, partim quoad propriam indolem suam mutata existeret, mutari potest [1]; quam in rem, quatenus ad vis vitalis in gravido corpore mutationem spectat, inquirere conabimus. Cujusvis autem periodi causa haec est, ut quoddam organum, antea quasi dormiens et in hac quiete corpori ssolummodo nutrimentis conservatum, nunc longe aliam cum cetero corpore conjunctionem relationemque induit, ut quasi nova vita accepta, priusque ignota eo munere fungatur, ad quod a natura pro certo temporis spatio constitutum est. Ex quibus quam clarissime elucebit, systema genitale graviditatis tempore cum cetero corpore longe aliter consentire et hanc ob rem respectu vis nervosae primum inquisitioni subjiciendum esse. Tria ergo sunt spectanda mutationum corporis gravidi dynamicarum physicarum (nam mechanicae praegnantium mutationes huc non pertinent) genera, quae in utraque vi

---

1) Qua de re quatenus vim vitalem in qualitate sua immutari posse, *Cl. Sprengelius* fusius diputavit. in ej. Instit. physiolog. Vol I. p. 211.

et productiva et nervosa ejusque singulis organis simulac animadvertuntur. Interna autem ratio, qua nervorum systema in reproductionem et haec iterum in illud suam vim exerceat, adhuc densis sane tenebris obruta est, et nemo hanc rem satis expedivit. Hoc autem certum est, aucta vi nervosa, primum novam vitam in organis sese evolventibus, provocari et sine illa neque majorem vasorum alacritatem humorumque affluxum, neque omnino insigniorem omnium reproductionis functionum intensionem posse unquam cogitari. Quapropter undique aucta quoque sensilitas in organis, quae in eo sunt, ut evolvantur in iisque, quibus praecipue sustentatur haec evolutio, observatur. Attamen haec sufficiant de ratione hujus utriusque vis atque modo, quo mutari possunt, triplici; nobis autem solummodo disserendum est de vi nervosa durante graviditate mutata, in cujus tractatione secundum ea, quae modo exposuimus, hanc sequendam esse putavi, ut primum disseram de systemate nervorum cerebralium et gangliorum, qua ratione graviditatis tempore ad se invicem referantur. In capite secundo mutationem vis nervosae ad ejus qualitatem — naturam — pertinentem in gravidis exponam. In capite tertio mutationem ad hujus vis quantitatem — vigorem — pertinentem explicare nitemur.

Denique ultimo omnium autem diversissimas et prorsus peculiaris generis mutationes gravidarum ad animum spectantes — psychicas —, quae ex mutata utriusque nervorum systematis ratione atque vi originem trahunt, exponere modumque, quo istae in morbos (sic dictos psychicos) transire possunt, extricare studebo. Prius autem sermo erit de organo, quo animus suam efficaciam in totum corpus effundit, atque ratione, qua animi mutationes fieri possunt.

Ceterum nobis persuasum est, multa in nostra commentatione partim omissa, partim ea, quae sunt tractata, haud omnino ex sententia successa minimeque prorsus esse exhausta, quam ut quadam praesumtione moneam, me hac in re perardua nodum quasi gordium solvisse et commentationem perfectam, cui nulla possit fieri contradictio, typis tradidisse; id quod benevolus lector, juvenilem auctoris aetatem ejusque parcam experientiam occupationumque copiam et varietatem, quae medicinae doctorandos urgere solet, respiciens haud expectabit.

SECTIO PRIMA.

MUTATIONES VIS NERVOSAE UNIVERSI PRAEGNANTIUM CORPORIS.

CAP. I.

SYSTEMA NERVORUM CEREBRALIUM ET GANGLIORUM, QUA RATIONE GRAVIDITATIS TEMPORE AD SE INVICEM REFERANTUR.

Quodnam sit hujus utriusque nervorum systematis discrimen, quomodo utrumque inter se invicem sit referendum, ex iis, quae physiologia humani corporis de natura vis nervosae in eo sita, docet, satis notum est; maximi autem momenti est, inquirere mutatam horum systematum rationem graviditatis tempore, ut singulas, quae in praegnantibus observantur, mutationes melius et clarius cogitatione com prehendi possint.

Si reputamus, quantopere durante graviditate, vis productiva in muliebri corpore aucta sit, quantoque studio, unum foetum conformandi et nutriendi finem attingere nitatur, virum contra brevi temporis momento solummodo et foecundationem animationemque spectare, jam in ipsa morphologia nervorum utriusque sexus magnam differentiam animadvertimus. Onnes nervi e cerebro mulierum

prodeuntes, excepto olfactorio et ophthalmico nervo, minores atque subtiliores sunt, quam apud virum, quod si etiam ceteri mulierum nervi neque minores, quam virorum, neque frequentiores existunt; attamen inferiores nervi sympathici plexus, praecipue qui ad genitalia uterumque vergunt, propter insignem explicationem, miram exceptionem faciunt.

Verum extra graviditatem, si etiam efficacior et potentior existit vis illa, quam cerebrum exercet in systema nervi sympathici, cujus ope genitalia determinat atque gubernat, attamen post foecundatiotem inter utrumque systema magna dissensio et oppositio cernitur. Gangliorum systema maximeque tam insigniter evoluti, et praevalentes genitalium plexus, ad novam antea quasi iis ignotam vitam majoremque vigorem provocantur, qui propagandi functioni auctaeque vitae, qua graviditatis tempore illae partes participes fiunt, prorsus respondet [1]). Hac vis vitalis intensione, gangliorum systematis auctoque ejus vigore, efficacitas cerebri nervorumque ex eo orientium, propter utriusque systematis antithesin, non solita alacritate peragitur. Quemadmodum inter uterum gravidum ceterumque organismum, ita etiam huic utrique nervorum systemati alia ratio intercedit: cerebrum, ut doctissimi *Reilii* verbis utar, aliam nanciscitur temperiem, et interdum ad melancholiam inclinat, universum vero gangliorum systema augetur [2]). Hac ex mutatione, quae ineunte graviditate et praecipue in excitatione

---

1) *A. Henke* üb. d. Entwickelungen u. Entwickelungskrankheiten p. 208. — *Ackermann* üb. d. Verschiedenheit des Weibes und Mannes. p. 92.

2) cj. Archiv für Physiologie. Bd. 7. p. 499.

universi nervorum systematis foecundationis tempore tam eximia est, apparet, unde graviditatis et partus tempore propter consensum seu sympathiam capitis et genitalium (si enim ex quacunque causa sanitatis leges exceduntur) variae morbosae affectiones, convulsiones et epilepsia aliaque hujusmodi incommoda, quibus gravidae haud raro laborant, exoriantur. Cum semen virile non solum in ovum foemininum, sed etiam in totum corpus suam vim exerceat [1]), jam statim post coitum foecundantem in ipsaque foecundatione proferuntur phaenomena, quae nervorum magnam affectionem testantur, animali magnetismo excitatorum similia, et ex mutata vis nervosae natura auctoque inferiorum abdominis plexuum vigore originem trahunt [2]). Nam diversas alias primas ipsa impraegnatione provocatas vis nervosae mutationes sequuntur injucundae quaedam affectiones, horror totum corpus perfundens [3]), tensivus quasi dolor in lumbis et abdomine, animi a coitu alienatio summaque a viro, quem passa est, aversio, omnino languor animi et deliquium; tum plerumque quasi magnetismo animali tactae, in somnum vel soporem mulieres incidunt [4]). Ex adaucto plexuum nervi sympathici abdominalium vigore magnaque in ceteris nervis efficacia, mirae porro sensuum affectiones praegnantium, quas vocant malaciam et picam, atque omnino perturbationes in

---

[1]) *Henke* l. c. p. 189.

[2]) *Ph. v. Walther's* Physiologie des Menschen. §. 632. p. 396. — *v. Siebold's* Weiberkrankheiten. Bd. I. §. 38.

[3]) Cf. *Osiander* Grundriſs der Entbindungskunst.

[4]) *Ph, v. Walther* l. c. §. 631. p. 632. — *A. Henke* l. c. pag. 207.

digerendo, originem deducunt; sic etiam intelligitur, unde fiat, ut plurima incommoda in gravidis hystericarum passionum naturam prae se ferant. Eandem ob causam animi quoque functiones multo tardiores evadunt, multo minus promptae sunt ad suscipiendos labores, in quibus animum ingeniumque intenditur, perversis cogitationibus, characteris constantiae, miris fictionibus et imaginationibus obnoxiae, constante animi attentione privatae sunt, amant quietem, corripiuntur sopore [1]: quae omnia simili modo tum temporis exoriuntur, si qualibet arte, sive nutrimentis, sive medicamentis, sive magnetismo animali, vigor magni nervi sympathici adeo augetur et intenditur, ut efficaciam ceterorum nervorum superioris ordinis superet longeque antecellat.

CAP. II.

DE VIS NERVOSAE MUTATIONE AD EJUS QUALITATEM — NATURAM — PERTINENTE IN GRAVIDIS.

Vim illam, quae nervis insita est maximamque efficaciam exercet, pariter atque in ceteris organis, quod spectat ad ea, quae ista vi producuntur, energiam vocamus [2]. Haec autem energia non una

---

[1]) *v. Siebold* Handbuch d. Erkenntniſs der Weiberkrankheiten. Bd. I. p. 43. §. 44.

[2]) Producta, ut hoc utar, (*Κατ᾽ ἐνέργειαν*) vitalia, actiones principii vitalis (*Κατὰ δύναμιν*) efficientis constituunt. Haec *Aristotelis* terminologia justo, recto utiliterque, ut mihi videtur, potest usurpari, nisi simulac obliviscamur, omnem vitae mafestationem ab organonomia petere principium entelechiale, quod in omnibus, quin etiam motus animalis phaenomenis mechani-

est atque simplex, sed qualibetcunque ratione sive morbis sive bonae valetudini consentaneis conditionibus, sive externa vel interna caussa potest mutari, aeque ac cuivis organo innata vis. (Quisque enim scit, esse mutationes, in quibus id, quod mutat, suam ipsius qualitatem vel conditionem in illud, quod mutatur, transferat [1]). Cujus veritatis argumentum in inconstantia fluidi nervosi, quod adhuc in discrimine versatur, vel adeo in sensifera atmosphaera, situm esse dicunt; quantopere autem praestantissimorum virorum disquisitiones non spreverimus, attamen hujus mutationis rationem solummodo ex mutata phaenomenorum natura dijudicari posse arbitramur, cum formae nervorumque mixtioni mutatae renuntiemus necesse est. Satis igitur erit ostendere, quomodo mutata vis nervosae natura ex phaenomenis vere sese manifestat; unde mutationes, quas in gravidis conspicimus, possunt explicari.

Quis est, qui experientia ratum firmumque non habeat, in multis hominibus celeritatem mentisque acumen interdum mutua vice variare, oculorum aciem magnam quidem esse, verum intento ad varias res animo ingenioque mox defatigari, dum alii eandem rem longo tempore sine omni sensuum defatigatione aggrediantur? Unde venit, ut cito nonnunquam quaecunque animo comprehendamus celerrimeque intelligentiae vi dijudicemus, sed non penitus intremus, ita

cis sat clarum elucet. vid. *J. Müller* dissertatio sist. commentarios de phoronomia animalium. Bonnae 1822.

[1]) *J. Müller* Abhandl. üb. d. phantastischen Gesichtserscheinungen. §. 2. p. 4.

ita ut vel multa, vel omnia evanescant; alias autem cogitandi vis non tantum quidem excitetur, sed sagacitas atque subtilitas augeatur? Nonne apud multos et quidem sanos homines, tum etiam apud illos, qui asphyxia et somnambulismo corripiuntur, observitamus, aures etiam lenissimis sonis apertas esse, oculos noctu posse videre? Nonne constat, oculorum aciem solis splendore perstringi, sed in tenebris, si diu verseris, videndi facultatem augeri, multos denique homines extemplo prudentes fieri et divina inspiratione tangi? Hysterici, hypochondrici homines conspiciunt nebulas, aranea, opera cancellata suasque ipsorum imagines [1]), si eorum digestio, vel alia functio turbata est. Quibus omnibus animo rite perpensis, nemo unquam infitias iverit, indolem atque naturam vis nervosae, qua nervi suam efficaciam produnt, una cum his aliam fieri oportere, eamque sibi non constantem sed mobilem esse, vel, ut cum *Reilio* loquar, mobilem temperiem possidere. Haec autem inconstantia atque mobilitas non singulis functionibus adstricta est, sed cunctas omnino amplectitur.

Quemadmodum autem universo organismo insita vis vitalis et in singulis partibus, et in universum ad unum finem nititur, vividasque actiones provocat; quemadmodum singulorum organorum consensu unum efficacitatem alius, propter variam eorum variis vitae aetatibus relationem, potest mutare; ita etiam per uterum graviditatis tempore, prout consentaneum est, vis nervosa aliam naturam, et efficientiam induit. Nam sicuti foecundationis actus,

---

[1]) Quas *Purkinje* accuratius explicuit.

quo omnes graviditatis tempore mutationes efficiuntur, nullo modo explicari potest nisi ad imponderabilia efficientiamque iis inhabitantem, confugimus, qua propter etiam maxime afficitur et mutatur nervorum systema, ac post conceptionem phaenomena imponderabilium illi efficacitati simillima observantur; sicuti miasmatum natura atque origo a similibus imponderabilis ejusdem elementi mutationibus pendet [1]); sic vis quoque nervosae natura per totum graviditatis tempus maximis mutationibus obnoxia est. Et erant profecto, qui, his inter se perpensis, omnia, quae in gravidarum nervis accidunt, inde conati sunt dilucidare. Sic etiam apparet, quamnam mira illa et sympathia, et antipathia, et idiosynkrasis, quae saepissime in gravidis observantur, causam habeant. *Sieboldus* narrat, gravidam sibi curandam traditam virido colore adspecto taedium concepisse, vomitumque edidisse. Memoratu quoque longe dignissimae mutationes olfactus et gustus in gravidis saepenumero animadvertuntur. Olfactus haud raro quocunque odore vehementissime afficitur simulque multifariam idiosynkrasin manifestat. Saepissime fit, ut gravidae pariter atque in hystericis affectionibus rebus foetidis, ut corio pennisque adustis delectentur, ab odoribus suavibus contra sese avertant [2]). Magni momenti est,

---

[1]) *Bartels*: Pathologische Untersuchungen Bd. 1. pag. 248. seq. — *Autenrieth* Handbuch der Physiologie. — *Bach* specimen de morbis contagiosis. Halae 1814. cj. Grundzüge zu e. Pathologie der ansteckenden Krankheiten. Halle 1810. §. 100. — *Treviranus* Biologie. Bd. 3. — *Brandis* in cj. Pathologie.

[2]) *Whyttius* (Maladies nerveuses) commemorat mulierem, quae graviditatis tempore, herbae nicotianae odorem non sine in-

istam olfactus perversitatem cum immutata reproductionis natura, quae in nervorum systemate obtinet, plane convenire; cum sit veresimile, sensum illum relatione aliqua cum interna nervorum materiei vicissitudine conjunctum esse [1]). Interdum jam vomunt praegnantes odorantes tantummodo cibos, licet nondum eos conspexerint. De malacia et pica jam supra monuimus. Maximi momenti illa vis nervosae mutatio est, qua diversi sapores in ore procreantur, quos nausea vomendi conatus, iteratus ructus et ipse vomitus subsequi solent [2]). Attamen omittamus alia argumenta, quae nobis veritatem hujus rei persuadere possint, cum de omnibus singulis systematis praegnantium nervosi mutationibus, singulatim agere, haud in consilio habemus. Id unum, vis nervosae indolem in praegnantibus vere immutari, hoc loco ostendisse sufficiat.

CAP. III.

DE VIS NERVOSAE MUTATIONE AD EJUS QUANTITATEM — VIGOREM — PERTINENTE IN GRAVIDIS.

Vim nervosam iisdem ex causis fieri intensiorem majoremque vigorem adipisci, vix debet argumentis

---

commodis percipiebat, quamvis ei antea plane adsuefacta erat. — *Keſsler* üb. d. Natur der Sinne. §. 185.

[1]) *Bartels* Physiologie. §. 88.

[2]) *Meauriceau* traité des maladies des femmes grosses. Tom. 1. p. 25. et de ventriculi in gravidis affectione in universum: *Pigeoth* diss. sur la femme considerée dans l'état de la grossesse. 4. in Thes. de Montpellier. — *Osiander* Annalen der Entbindungskunst. Bd. 1. St. 1. p. 71. — *Teichmeier* diss. de vomitu gravidarum. Jen. 1783.

confirmari, si reputamus, ut aures lenissimos quosque sonos audire, oculi nocte videre possint [1]: nemo enim negabit, hic eorum vim, ut hoc fiat, crescere atque augeri oportere. Ut vero universa praegnantium vis vitalis in omnibus, quibus fungitur, muneribus plerumque augetur et intenditur, sic etiam vim nervosam, qua dignissimae nobilissimaeque organismo, quam maxime necessariae functiones nascuntur, graviditatis tempore intensiorem fieri et majorem adipisci vigorem, non est infitiandum [2]. Nam auctus hic vigor, ut quovis alio corporis evolvendi tempore, sic etiam durante graviditate ad conformandum foetum necessarius est; quare praegnantes tantam sensilitatem possident, ut omnibus externis rebus mirum in modum afficiantur, et saepenumero convulsionibus, asphyxia, aliisque incommodis corripiantur [3]. Interdum fit, ut mulierum gravidarum corpus tremor universalis occupet, quem quidem, si artus gravius pertentat, spasmi aliaque hujusmodi incommoda subsequi solent [4]; choream *St. Viti* quoque nonnunquam in gravidis observatum legimus. Aliae praegnantes certis temporibus, aliae per omnem graviditatem variis visis vexantur. Saepe accdiit, ut ex luce molestiam capiant ejusque vim multo minus, quam antea tollerent, ignem praeci-

---

[1]) *J. Müller* üb. d. phantastischen Gesichtserscheinungen. Cobl. 1826.

[2]) *A. Henke* l. c. p. 196.

[3]) *A. Henke* l. c. p. 206.

[4]) *Schafonsky* de gravidarum convulsionibus. Argent. 1763. — *John Leake* prakt. Bemerkungen über verschiedene Krankheiten der Kindbetterinnen und Schwangern, übers. p. 213. — *A. Henke* l. c. p. 208.

pue moleste ferant. Sunt contra mulieres, quarum una cum graviditate videndi facultas augetur, quae, pravo antea visu ex debilitate orto, laborantes, nunc quasi morbo liberatae, longo meliore oculorum acie fruuntur. E contrario a nonnullis traditur, mulieres nonnunquam statim post conceptionem amaurosi tentatas non nisi post partum visum recipisse [1]. Mira etiam huc pertinent idiosynkraseos exempla, jam supra commemorata, quae simulac cum mutata natura multo ad auctiorem vis nervosae vigorem testantur.

Grave quoque exemplum praebet praegnantium vomitus, praesertim matutino tempore rediens, quia tum ventriculi sensilitas maxime adaucta est. Cum enim gravidae initio tantum graviditatis hisce vomitibus obnoxiae sint, gravissimum hoc debet esse argumentum, vomitum illum ex affectione quadam nervorum proficisci, minime autem inde, quod ventriculus ipso utero extenso afficiatur atque comprimatur; id quod postremo tantum graviditatis tempore evenit, cum uteri ingens pondus, ventriculum magis quam alias corporis partes vexet. Mutatione adauctioreque nervorum abdominalium vigore, imprimis stomachi, in gravidis varii illi admirabiles appetitus efficiuntur. Hi vel statim post conceptionem, vel etiam variis graviditatis temporibus gravidarum animum invadunt, ut in res insipidas, foedas, easque, quibus ne vesci quidem aliquis potest, ferantur, veluti in lapides, calcem, cretam, corium, linteum, crines, mures, ranas, alia hujusmodi; qui quidem depravatus appetitus pica appellatur, et a *Burserio* et *Gaubio* ab

---

[1]) Obs. de Salmut. Cent. III. obs. 27.

alio appetitu, quem malaciam vocant, recte distinguitur. Gravidae quoque hoc malo laborantes, animum saepe omnia alia alimenta respuentem, vehemens certi cujusdam cibi, haud vero, quo vesci nemo potest, desiderium, bulimo simillimum, occupat, quod utique nonnunquam salutari quodam instinctu oriri videtur. Omnes istae affectiones ex insigni ventriculi uterique consensu (respectu vis productivae et nervosae adauctioris vigoris) pendent, qui jam *Hippocratem*, *Celsum*, *Galenum*, alios veterum medicos, ut ex variis eorum scriptis elucet, minime latuit [1]. Supervacaneum mihi esse videtur, singulas omnes ad rem argumentandas mutationes, quae adhuc exstant, percensere, cum in diversis virorum doctissimorum scriptis sint expositae. Utinam bene nobis successerit, his quidem paucis, verum maximi momenti argumentis satis ostendisse, ut vis nervosae vigor durante graviditate, multo adauctior intentiorque revera existat.

---

[1]) *Büchner* de uteri cum ventriculi consensu. — *J. F. Osiandri* comment. qua edisseritur uterum nervos habere. Gött. 1804. §. 23. et de magno uteri cum aliis corporis partibus consensu, quo multa alia graviditatis phaenomena explicari possunt. ibid. §. 19.

SECTIO SECUNDA.

MUTATIONES PRAEGNANTIUM AD ANIMUM PERTINENTES — PSYCHICAE. —

CAP. I.

DE ORGANO, QUO ANIMUS SUAM EFFICACIAM IN TOTUM CORPUS EFFUNDIT ATQUE RATIONE, QUA ANIMI MUTATIONES FIERI POSSUNT.

Postquam gravidarum mutationes vis nervosae, quas physicas vocant, consideravimus, maximi momenti erit progredi ad eas, quae ad animum spectant, utpote qui hominem supra ipsius corporis fines longe extollit. Animum, de quo certi aliquid statuere difficillimum est, tantummodo dijudicare atque definire possumus ex efficacia atque vi, quam et in corpus humanum et omnino in omnes animantes exercet, quoniam ejus natura atque origo ultra hominum intelligentiam posita est. Animus atque corpus, per se considerata, nullo modo ex se invicem pendent, conjuncta vitam humanam, secreta vero constituunt mortem. Ratio, qua conjuncta sunt, densis sane tenebris obruta est et permanebit. Corporis autem vinculis adstrictus, animi efficientiam functionesque aliquam habere sedem necesse est, unde in omne corpus ejusque sensus suam vim effundat; id quod in nostra re nunc investiganda, propter istam mutatam nervorum in gravidis systematum rationem, maximi nobis videtur esse momenti.

Jam ab antiquissimis inde temporibus, permulti fuerunt nec postea defecerunt, qui arcem [1]) animi in diversis corporis partibus munitissimam atque nobilissimam summo ardore et indefesso studio, haud semper ex optato prorsus successo, investigare nitebantur. Etsi vix ulla corporis pars invenietur [2]), in qua naturae scrutatores diversimode animum habitare non contendissent, plerique tamen majus minusve in eo conveniunt, ut in cerebro ejus locus certissime sit quaerendus. Et profecto, si enim hac ratione in re perscrutanda lis quoque maxima atque controversia paratur, cum multi nunc divinam animi facultatem, iterum in singulis cerebri partibus iis adstrictam quadam certitudine posse investigari crediderint [3]), id quod, ut verosimile est, nemo unquam satis expediet; tamen ista sententia inter omnes alias, quae exstant, minime est rejicienda. Jam *Aristoteles* [4]),

---

[1]) *Sommer*, de cerebro, arce Palladis uti munitissima sic nobilissima. Viteb. 1595.

[2]) *Hippocrates* in corde sedem posuit, *van Helmont* in ventriculo aliique in aliis corporis partibus.

[3]) Sic corpus callosum *Bontecoum* (Hall. bibl. anat. vol. I. p. 673.), *Lancisium* (Dissert. de sede cogit. animae, Ven. 1713.) et *Peyronium* (Mémoires de Montp. 1708.);, centrum ovale *Vieussenium* (Neurograph. c. 21 et 22.), corpora striata *Willisium* (De anima brutorum. cap. 10.), pons *Varolium* (epist. ad Mercurialem. Patav. 1573.), cerebellum *Drelincourtium* (Opera anat. ed. ab Heyse. Lugd. Bat. 1684.), medulla oblongata *Schellhammerum* (Anal. anat. physiol. p. 13. §. 25 — 30), *Hoffmannum* (Phil. corp. human. p. 3. §. 12.), *Blancardum* (Instit. med. p. 253.) *Κωνάριον* *Curtesium* (Pass. animae. Amst. 1664. art. 31, 32, 34.), *Eschenmeyerum* (Psychologie, Tübing. 1817.) et *Ciesserum* (System der Medizin. Bd. II.) arriserunt.

[4]) De part. animal. lib. II. c. 7. lib. III. c. 4. lib. V. c. 8. — *Aristoteles* enim cubicula cerebri, tanquam cloacas, in quibus *περίττωμα* asservaretur, consideravit.

Alcmaeon [1]), *Archytas* [2]), et omnium intelligendi gravissimus auctor et magister, *Plato* [3]), vir ingenio acerrimo et in plurimornm controversiis dijudicandis natura peracutus, cerebrum animi esse sedem dixerunt. *Aristotelis* opinioni, quam *Galenus* [4]), caput medicorum graecorum, ex omnibus clarissime elucens praestantissimoque ingenio excellens, sequutus est, multo post plerique physiologorum adstipulati sunt [5]). Tandemque recentioribus temporibus, physiologi hisce in rebus enucleandis magis versati

---

1) ***Plutarch.*** physic. decret. 4. 17.

2) ***Diogenes*** 8. 30. — ***Plutarch.*** l. c. 5. 20. — ***Stob.*** p. 874

3) ***Platonis*** quae exstant, edit. Bipontin. vol. IX. p. 332. 395. — ***Carus***, Geschichte der Psychologie. S. 362.

4) De utilitate respirat. cap. 5. de ***Hipp.*** et ***Plat.*** decret. lib. III. cap. 6. lib. VII. cap. 3. — ***Galenus***, quamvis in libro quodam cerebrum in universo animi domicilium esse videatur, tamen, quod multis locis fusius et accuratius confirmat, ejus ventriculos maxime tanquam πρῶτον αἰσθητήριον declaravit. vid. ej. De ***Hipp.*** et ***Platon.*** decret. lib. VIII. c. 3.

5) ***Nemesius*** (De nat. hominis, ed. Matthaei. Hal. 1802. p. 173.), ***Arabes nonnulli*** (Hall. elem. physiol. Tom. 4. p. 397.), ***Berengarius*** (commentar. sup. an. Mund. fol. 444.), ***Landius*** (Pag. 56.), ***Riolanus*** (Encheirid. lib. IV. cap. 2.), ***Albinus*** (De nat. hom. §. 909.), ***Hallerus*** (Element. physiol. Tom. IV. p. 395.), ***Ithius*** (Anthropologie, §. 192.), ***Metzgerus*** (Anthropol. §. 120.), ***Tiedemannus*** (Untersuchung über d. Menschen, Thl. 2.), ***Platnerus*** (Quaestion. physiolog. pag. 57.), ***Blumenbachius*** (institut. physiol. §. 192.), ***Brandius*** (Von der Lebenskraft, §. 10.) et praesertim ***Soemmeringius*** (D. Organ der Seele, Königsb. 1796.). Ista autem horum naturae scrutatorum opinio, quam nuperrime ***Doellingerus*** ab oblivione vindicare studuit (cj. Beiträge zur Entwickelungsgeschichte des menschl. Gehirns, S. 18.), inpraesentiarum, ne crambe nimis saepe atque repetita nauseam moveat, ad nugas doctas rejiciatur, necesse est (***Rudolphi*** comment. de ventricul. cerebri Gryph. 1799.).

atque exercitati illam pristinam *Platonis* sententiam, totum cerebrum, ut ex loco supra memorato luculentius patet, animi esse sedem, quandoque ad suam, quam habuit, dignitatem reduxerunt, et in hac provincia perardua, cautius in universum modo de connubio cerebri cum animi facultatibus disseruerunt. Et huc praecipue nominandi sunt: *Zinnius* [1]), *Reilius* [2]), *Autenriethius* [3]), *a Waltherus* [4]), *Carus* [5]), *Treviranus* [6]), *Lenhosseccius* [7]), *Rudolphus* [8]), *Magendius* [9]), *Hartmannus* [10]), *Gallius* [11]), viri, qui prudentia et auctoritate dignissimi, flagranti studio acerrimoque ingenio, in hac sane valdopere dura provincia scrutaverunt.

Licet vero minime spoponderim, in solo cerebro, quasi domicilio, animum habitare, cum in organismo humano neque internum, neque externum, nihil singulare, quod regat, aut quod regatur, absolute determinari potest, sed mutua vice in quavis singulari parte alius conditio latet atque omnia summa necessitate sunt conjuncta; tamen nullum praesto est argumentum, quod melius quidquam

---

1) Experimenta circa corp. call., cerebell. etc. in vivis animal. instituta, Gött. 1794.

2) Fieberlehre, Bd. IV. S. 41.

3) Physiologie, §. 1040.

4) Physiologie, Bd. II. §. 599.

5) Darstellung des Nervensystems, S. 20. seq.

6) Biologie, Bd. VI.

7) Darstellung des menschl. Gemüths, S. 286.

8) Physiologie, Bd. II. Abth. II. S. 32.

9) Physiologie, übs. v. *Heus*. Bd. II. S. 165. seq.

10) Phys. des Denkens, S. 67. seq.

11) Hinc inde in libro: sur les functions du cerveau.

persuadere mihi possit, immo experientia et virorum istorum doctissimorum disquisitiones in hanc partem inclinant. Laesum etiam atque morbo afflictum cerebrum, semper magis quam aliae violatae corporis partes animi facultates turbet.

Quae cum ita sint, nihil impedit, quominus systema nervorum cerebralium, primarium omnium animi facultatum organum constituere, merito defendere audeamus [1]. Nam animus, quippe cum nil habeat cum corpore commune, per se non apparet; at siquidem appareat, ex illius statu atque natura prorsus pendeat ita, ut reliquum corpus etiam magnam vim in cerebrum exserens, eodem modo habitum quasi animi immutare possit. Sic ex visceribus inprimis nobilioribus incitationes oriantur, quibus diversae animi functiones diversimode pulsae, alia ratione peragi determinentur et ita immutatae animadvertantur [2]. Verum si quoque lubentissime concedendum est, cor, vasa sanguinem vehentia, pulmones, hepar, genitales partes, per magnam vim in animi facultates exercere atque earum incitationes efficere, tamen exinde omnino haud concludere licet, auriculam aut umbilicum eandem ad animum habere rationem, quam cerebrum. Sensus igitur, qui post animi incitationes saepenumero exoriuntur, facile, dum ad cerebrum referuntur, fallere posse, fere neminem medicorum fugit, qui paullo accuratius observarunt atque rationem hujus condi-

---

[1]) *J. Hartung*, dissert. de cognoscendis corporis affectionibus ex mentis alienatione. Bon. 1827.

[2]) Vid. in nostro scripto: Cap. II. de vis nervosae mutatione etc. locum istum: *J. Müller* über die phantastischen Gesichtserscheinungen. §. 2. p. 4.

tionis intentius investigarunt [1]). Sed, ut redeamus ad rem, ista ex causa sat clare elucet, animum per se nulli morbo esse subditum nulloque morbo corripi posse. Eadem quoque haud infitiandum est, unam quamque animi facultatum mutationem ex mutatione corporis, quae illi respondet, pendere, et ex diversa animi facultatum mutatione ipsum organum mutatum, aut ipsam hujus corporis partis mutationem variam existere debere, ita ut ex illa ad hanc colligere liceat, si quidem in hac re perpendenda, certa nobis fuisset doctrina. Quam doctrinam suppeditare potest experientia solummodo, quae simul docet, imaginatas insolitarum rerum visiones [2]), simulacra aliaque hujusmodi ex morbis diversarum corporis partium, aut si animi facultatum mutationes sanitati respondent (e. g. in illis evolutionis corporis periodis), magis ex organismi ejusque singularum partium mutationibus necessariis originem trahere; id quod praesertim graviditatis tempore, ubi longe maxima omnium mutatio in muliebri corpore contingit, respiciendum est.

CAP. II.

DE MUTATIONIBUS GRAVIDARUM PSYCHICIS.

Adstrictis vero certo quodam organo — quod quasi instrumentum videri debet, per quod animus

---

[1]) Huc quoque pertinent diversae illae ex praepostero religionis fervore ortae imaginationes visionesque mirae, de quibus omnibus *Joan. Müller* in suo libro: üb. d. phantast. etc. accuratius atque luce clarius disputavit. — *J. Hartung* l. c. p. 5. seqq.

[2]) *Scarpa*, anatom. annot. lib. I. cap. 4.

ipse operatur — animi facultatibus, una cum mutata organi vi atque energia, ut vidimus, etiam animi functiones necessario mutantur. Hinc etiam oppositio illa, quae in gravidis inter cerebrum et inferiores abdominis plexus cernitur (vid. supra cap. I), quia praevalente reproductionis vi in abdomine auctus horum plexuum vigor cerebrum animique facultates insigniter mutatur et imminuitur. Nam in omni rerum natura duplex animadvertitur efficientia, cujus altera ad singula conformanda spectat, altera res singulas legitime ad unitatem conjungere studet; veluti in vegetabilibus et animalibus: plantae praecipue ad suam ipsius nituntur conservationem, quam ob rem singulae earum functiones solummodo ad nutriendum et secernendum, ad incrementum, propagationem et interitum diriguntur; in animalibus contra existentiae, ut hoc utar, finis in sensibus et motibus, qui arbitrarii sunt, situs est. Eadem oppositio cernitur in physica et psychica, quam vocant, ipsius hominis natura, altera scilicet formatione et reproductione, altera unitate et libertate nititur; quare etiam ubique, quo vis productiva superat atque praevalet, animi vis atque functiones longe retrocedunt atque minuuntur.

Si cogitamus, ad quantum fastigium graviditatis tempore vis productiva ascenderit [1]), si reputamus, inter animum genitalesque functiones insignem esse antithesin, illo corporis fines longe exsuperante, his autem ad generis propagationem et conservationem spectantibus; extra omnem dubitationem

---

[1]) De quo in nostra commentatione verba haud erant facienda.

positum est, animi facultates in gravidis vel omnes, vel singulas determinari atque minui, ita ut minus solita alacritate naturae convenienter perficiantur [1]. Igitur hanc in rem bene *Cl. Reilius* dicere potuit, cerebrum aliam nancisci temperiem et plerumque ad melancholiam inclinare, quo certo nihil nisi psychicam gravidarum vitam significare voluit. Quare praegnantes ineunte graviditate tristitia quadam affici et sollicitudine angi videntur; animus proclivior est ad curas metumque, ejusque alacritas et hilaritas admodum minuitur. Mulieres antea facillimae in graviditate fiunt timidissimae et melancholia saepe corripiuntur, aliae praecipue statim post conceptionem aerumnis, moestitia et insolito angore sollicitantur [2]. Omnes animi functiones retardantur et difficilius peraguntur, minus promptae sunt ad labores, qui animi intensionem postulant, graviores quascunque cogitationes fugiunt, miras imagines sibi fingunt, et omnino totius indolis inconstantiam manifestant; evitant virium contensiones corporisque motus, amant quietem, tranquilliores sunt, quam antea, et ingenti languore et sopore deditae [3]. Eadem etiam in gravidis animalibus animadvertuntur, sunt timidiora, tardiora, omnium adspectum fugiunt et facile in latebris sese obscondunt atque occultant.

Porro adaucto vigore et mutata natura vis nervosae systematis sympathici animi facultates saepe

---

1) *Ch. Gottf. Jörg* Handbuch d. Krankheiten d. menschl. Weibes. §. 233. p. 199.

2) *Hufeland's* neueste Annalen der französ. Arzneikunde u. Wundarzneikunst. Thl. I. p. 329.

3) *v. Siebold's* Handbuch zur Erkenntniſs der Frauenzimmerkrankheiten. Bd. I. p. 43. §. 44.

adeo afficiuntur, ut non solum omnino depriman- tur, sed indoles quoque earumque natura, vel ratio denique, qua singulae animi facultates erga se invicem positae sunt, insigniter immutetur omnesque animi functiones prorsus turbari possint. Singulae animi, cognoscendi et percipiendi facultates, admodum mutantur et debilitantur. Quam maxime autem haec mutatio in sentiendi et appetendi facultate cognoscitur; illa, quae in corpus dolore, horrore, calore sese manifestat, in animo solicitudine, moestitia, quas supra jam commemoravimus, aliisque affectionibus sit perspicua. Graviores vero sunt mutationes, quae appetendi facultatem et inferiorem et superiorem, spectant. In gravidis scilicet saepe studia, appetitiones, ipsique mores subito mutantur: amant virum, quem antea summo odio persequebantur, et haec pietas crescente graviditate augebatur; contra vero fuerunt mulieres, quae maritos, quos antea maxime dilexerant, in graviditate maxime aversarentur [1]. Pluresque alias earum sympathias et antipathias, ex animi affectione esse oriundas, vix aliquid dubitationis relinquit.

Quemadmodum vero physicae mutationes a quibus illae, quas psychicas vocant, pendent, primo graviditatis tempore gravissimae sunt, postea autem, dum mechanicae, quas dicimus, ad viscerum mutatum situm atque volumen spectantes, augentur, decrescunt; ita etiam illae provectiori graviditate imminui videntur. (Nam psychicae mutationes in partu hic locum non habent.) Haec quoque causa est, cur ad finem vergente graviditate animi facul-

---

1) *v. Siebold* l. c. Thl. 1.

tates quasi ex quiete et sopore suscitantur et exterrentur, et foeminae, ingenti laetitia se matrem futuram esse praevidentis, mirum in modum animus excitatur et inflammatur. Foetu magis magisque crescente etiam pietas materna, quae in matribus vere humanis, quosque alios animi motus longissime exsuperat, magis accenditur omnibusque animi functionibus vitam summamque alacritatem nanciscitur.

CAP. III.

DE RATIONE, QUA ISTAE MUTATIONES IN MORBOS TRANSIRE QUEUNT.

Omnes mutationes, quae respectu animi in muliere graviditatis tempore animadvertuntur, rarissime graves fiunt, cum, si omnes cujuscunque generis mutationes, quas graviditas in corpore provocat, omnino naturae legibus convenienter accidunt, sese invicem sustentent sibique succedunt, atque ita etiam ipsius animi efficacia relative tantum, ut hoc utar, id est, eo imminuatur, quod vis vitalis graviditatis tempore in genitalibus et systemate nervi sympathici magni admodum augetur. Quemadmodum enim graviditatis tempore totum corpus omnesque fere functiones eo diriguntur, ut propagationi plus minusve inserviant, ita etiam in animi efficacia hoc sese manifestat, cum vis nervosa, quae quasi instrumentum est, quo animus operatur, a cerebro inde ad inferiores abdominis plexus derivetur, ideoque propagationi inservientium organorum vi ore animi efficacitas minus appareat. Igitur illae muta-

mutationes psychicae haud raro saluberrimae fuerunt; varios animi morbos sustulere, indomitas uxores reddidere mansuetas, morosas hilares, stupidissimas antea intelligentes, leves timidissimas [1]. — Quodsi vero aliis mutationibus illa animi efficacia prorsus supprimitur atque frangitur, vel morbo quodam quasi evertitur, prorsus contra leges naturae hoc contingit. Mutationibus, quae durante graviditate in toto corpore eveniunt, animi efficientia nunquam morbose afficitur, si omnes corporis partes ejusque functiones perfectissima sanitate fruuntur, ita ut illas mutationes sine ullo detrimento subire valeant. Nam si etiam gangliorum systema illo modo revera in cerebrum agit, attamen ejus vis peculiari foeminini animi natura admodum imminuitur, quoniam in ea sentiendi et percipiendi facultas, inferioresque animi vires, quae sexus muliebris naturam ad omnem sensum pertentem constituunt, quam maxime animadvertuntur atque reliquas animi facultates longe antecellunt. Eadem quoque ex caussa praegnantes, animi respectu, nonnisi rarissime et leviter tantummodo mutationibus illis afficiuntur.

Tum tantum, si adest conditio, quae corpori impedimento erat, quominus illas mutationes sanitati et graviditatis fini congruenter ineat, si morbose adaucto vigore inferiores abdominis plexus laborant, ita ut vis nervosa nervi sympathici magni, vi justo vehementiori contra leges naturae terminos perrumpente in cerebrum agat; tum tantum animi

[1]) *Ch. Gottfr. Jörg* l. c. §. 233. p. 199.

efficacia morbose imminui atque infringi, vel etiam morbo quodam, ex mutata ipsius natura, vel ratione, qua singulae animi facultates inter se invicem positae sunt, oriundo affici potest. Hac quoque ratione efficitur, ut omnes illae, quas vocamus psychicas, mutationes, quae rarissime graves existunt, ut varii illi contrariique, quibus gravidarum animus mutua vice affliguntur, affectus, veluti spes atque metus, laetitia et sollicitudo, ut porro mutationes illae in studiis, appetitionibus ipsisque moribus, de quibus jam supra disseruimus, in vehementissimos animi morbos possint transire.

Qualiacunque igitur in praegnantibus vesaniae genera sunt observata: ut melancholia, qua nonnullae, quotiescunque impraegnantur, affici solent, quae tamen partu enixo desinit; moria cum immoderata garrulitate; mania et furor cum summa omnium nervorum irritatione, qui praesertim in furorem uterinum abire solet [1]. Plures etiam praegnantium sympathiae et antipathiae, ex animi affectione oriundae, sunt notatae, ut adeo ad scelera et caedes proclives fuerint, quas quominus patrarent, quanquam bonis alias moribus utebantur, vix potuerant impediri [1].

---

[1]) *Reil* üb. d. Erkenntnifs u. Cur der Fieber. Bd. 4. p. 434.

[2]) *Moreau de la Sarthe* l. c. Tom. III. p. 190. Nonnunquam scelestas hasce cupidines continere haud potuerunt. *Langius* et *Vives* praegnantes viderunt, quae alios homines, imo maritos trucidabant, ut eorum carne vescerentur. vid. *Chambon de Monteaux* traité des maladies de femmes grosses. Tom. I. p. 261.

CURRICULUM VITAE.

Confluentiae natus die XIV Augusti MDCCCV, confessioni addictus catholicae, patrem veneror Jacobum Richter Confluentinum, matrem Christ. Jaeger, quorum parentum optimorum cura unica atque caritas in eo posita fuit, ut inde a tenera aetate nil impedimento esset, quominus omnibus, puerili animo convenientibus imbuerer literarum alimentis. Quo consilio prima linguarum rudimenta in Gymnasio urbis patriae posui, Rectoribus Viris reverendis Borrigs et Schlosser deinceps sequentibus. Ibi per octo annorum spatium fere continuum versatus, die XIX Octobris MDCCCXXIV splendidissimam Borussicam-Rhenanam literarum Universitatem, dum examine absoluto maturitatis testimonium No. II. mihi adtribuerant, petii. In numerum civium academicorum a Rectore Magnifico a Schlegel receptus medendi scientiae studui praelectionesque professorum et Philosophici et Medici Ordinis Celeberrimorum per triennium frequentavi.

Multis hisce tantisque auspiciis contigit, ut, quum Natalitiis regis nostri Potentissimi anno MDCCCXXVI in Alma Rhenana Illustr. Medicorum Ordo proposuisset quaestionem illam, in proemio hujus nostrae dissertationis inau-

guralis commemoratam, die III Augusti a. MDCCCXXVII ab Gratiosissimo Medicorum Ordine mea commentatio haud indigna haberetur praemio. Quae majori incitamento fuere, ut, qua tramite inceperamus, in dies magis progredi, et ad ingenii nostri vires magis excolendas omnia impedimenta, quae nobis sese objiciant, removere idonei reddamur, et sic ad jucundissimam illam metam proveheremur ad impetrandosque summos in arte medendi honores pararemur. —

Studiorum philosophicorum haec mihi ratio fuit. Encyclopaediam et methodologiam disciplinarum philosophicarum Cl. WINDISCHMANN; psychologiam nec non logicam Cl. ELVENICH me docuit. Historiam aevi medii atque veteris historiae fontes, historiamque Borussorum reipublicae Cl. HUELLMANN; historiam linguae et literarum Germanorum, carmen de Nibelungis Illustr. A SCHLEGEL; anthropologiam Cl. NASSE me exposuit. —

Praelectionibus in disciplinas de rerum natura theoreticis et historicis hisce operam navavi: Physicen experimentalem Cl. A MUENCHOW; chemiam experimentalem puram Cl. GUST. BISCHOF; botanicen universalem Cl. NEES ab ESENBECK sen., pharmaceuticam, cum excursionibus junctam, NEES ab ESENBECL jun.; historiam naturalem generalem et zoologiam Cl. GOLDFUSS; mineralogiam cum excursionibus Cl. NOEGGERATH mihi tradidit. —

Sequitur ratio studiorum proprie sic dictorum. Encyclopaediam artis medendi mihi exposuit Cl. WINDISCHMANN. Anatomiam humani corporis specialem et pathologicam, Physiologiam cum experimentis junctam, et foetum singulariter spectantem mihi explicavit Cl. MAYER. Physiologiam et humanam et comparatam apud Cl. NASSE quoque audivi. In arte cadavera dissecandi dux

mihi fuit Cl. MAYER et WEBER. Cl. WEBER etiam Osteologiam, syndesmologiam et anatomiam comparatam et doctrinam de nervorum systematibus mihi tradidit. Physiologiam sensuum et systematis nervosi cum demonstrationibus anatomicis et experimentis, et pathologiam generalem Cl. MUELLER mihi explicuit. Materiam medicam per duos semestres et doctrinam de formulis medicis concinnandis, atque medicinam forensem Cl. E. BISCHOFF me docuit. Chirurgiam, ophthalmiatricen, akiurgiam Illustr. A WALTHER mihi tradidit; idem quoque in fasciarum usu me duxit. Therapiam generalem, specialem et symptomatologiam specialem denique per ter semestre cursum, nec minus doctrinas de morbis psychicis Illustr. NASSE me docuit; idem in exercitationibus pathologicis practicis me moderavit. In exercitationibus clinicis et policlinicis chirurgicis et ophthalmiatricis duce Illustr. A WALTHER auscultando interfui. Demonstrationes instrumentorum artis obstetriciae mihi habuit Cl. MAYER. In exercitationibus de rebus medicis latino sermone disputandis, Cl. MUELLER mihi moderator exstitit. —

Bonna relicta, ad almam literarum universitatem Berolini florentem me contuli, et a. MDCCCXXVII die XVII Octobris ab Illustr. LICHTENSTEIN t. t. Rectore Magnifico in numerum academicorum receptus, ab Illustr. RUDOLPHI, viro eruditissimo, Medicorum Ordinis tunc etiam Decano maxime spectabili, Medicinae studiosis adscriptus; Cel. KLUGE de artis obstetriciae parte theoretica et practica; Cel. JUENGKEN de cognoscendis et curandis oculorum morbis audivi. Exercitationibus clinicis medicis duce Cel. NEUMANN et Cel. BARTELS per annum integrum interfui; summis auspiciis Illustr. DE GRAEFE in clinico chirurgico et ophthalmiatrico artem

chirurgicam exercui. In morbis syphiliticis, quod spectat ad diagnosin statuendam et curandi medendique rationem atque methodum, Cel. KLUGE mihi moderator fuit. —

Quibus omnibus Viris gravissimis summe pieque colendis ac venerandis pro summis in me meritis, pro singulari erga me benevolentia, pro doctrinarum denique et praeceptorum mihi traditorum dignitate ac valore equidem, quae in me sunt, gratias ago maximas optimasque, atque ut res earum ex optato succedant, vota animi probi mentisque gratae, dum spirem, facere non desinam.